

1229

3

RECTOR AVGDVNAE  
PATRIS AVT PRAESES  
**ORATIO. PARENTALIS**  
DIVI  
**THOMAE. ITTIGII**  
S. THEOLOGIAE. DOCTORIS. ET. PRO  
FESSORIS. PVBLICI. COLLEGII. THEOLOGICI. ET. CON  
SISTORII. ELECTORALIS. ATQVE. DVCALIS. ASSESSO  
RIS. CANONICI. MISENENSIS. AD. D. NICOLAI  
PASTORIS. ET. DIOCESEOS. LIPSIENSIS  
SVPERINTENDENTIS  
VIRI. DE. ECCLESIA. ATQVE. ACADEMIA  
OPTIME. MERITI  
**IMMORTALI. MEMORIAE**  
SACRA

---

DIXIT

IN. MAIORI. PRINCIPVM. COLLEGIO  
IN. FREVENTISSIMA. PATRVM. CIVIVMQVE. CORONA  
D. XVII. KALEND. MAIL. A. C. M. DCC. XI  
**CHRISTIANVS. FRIDERICVS. BOERNERVS**  
S. TH. D. SACRARVM. HUMANIORVMQ. LITTERARVM  
PROF. PVBL. COLL. MAIORIS. PRINCIPVM. COLLEGA. ACADEMIAE  
BIBLIOTHECARIVS. ET. ORDINIS. PHILOSOPHICI.  
H. T. DECANVS

---

LIPSIAE. LITERIS. IO. SAMVELIS. FLEISCHERI.

1230  
RECTOR ACADEMIAE  
MAGNIFICE

PATRES VTRIVSQUE REIPVBLICAE  
CONSCRIPTI

TVQVE GENEROSORVM NOBILISSIMORVM QVE  
CIVIVM LECTISSIMA CONCIO



Vamquam mihi semper conspectus vester multo iucundissimus , hic autem locus ad dicendum ornatissimus est visus ; nunc tamen inuitus plane recusansque suggestum hunc consendi, necessariis quippe ac dignis expectatione vestra praesidiis substitutus . Vos enim, Auditores, hodierno die, quo supremum idque illaeabile officium praestandum est THOMAE ITTIGIO, idoneum tanti viri praeconem, et laudatorem eloquentissimum expectatis . Et certe, ipsi diui Praefulsi manes commemorationem meritis parem, hoc est, exquisitissimam iure quodam suo depositunt . Ego vero hoc dum cogito, meum virium probe mihi confici, non pollum, quin magnopere mihi metuam, verearque , ne officium ab impari laudatore sulcepsum moleste grauiterque feratis . Itaque, si meo res arbitrio ageretur, vobiscum assidere, et, GREGORIO quodam BASILII nostri laudes celebrante, merita eius tacite venerari, simulque grauissimam Academiae nostrae et totius, qua puriorum partium est, Ecclesiae , quae virum amisit, quem maiorem vix sperare, meliorem expetere non potuit, iacturam acerbissimis lacrymis deplorare, quam indiserta oratione THOMAM collaudare praeoptarem . Sed enimvero, postquam semel dicendi prouinciam ingressus sum, quam et venerandi Theologorum Ordinis auctoritas, et propensissima haeredum ITTIGIANORVM in me voluntas, tum vero pietas in hospitem ac praeceptorem de me optime meritum mihi imposuit , cumque vos omnes tacentes ego videam, praefat famam, quam pietatem negligere, et si nihil nostra oratione ad laudem ITTI-  
GII adiucci posit, simplici commemoratione egregiarum dotum, et Chae-  
tonensis

8231

ronensis exemplo cum virtutibus illuſtris cuiusdam veteris Ecclesiae docto-  
ris facta comparatione, satis magnam viri admirationem posteritati relin-  
quere. Circumſipienti autem mihi, quemnam potissimum ei conferam,  
qui, cum viua eſſet Patrum Bibliotheca, sanctitatem morum grauita-  
temque priscam ita expreſſit, ut praelatissimorum quorū prisci  
aui Theologorum imaginem referret, commodum ex omni antiquitatis  
choro occurrit **BASILIVS** ille **MAGNVS**, idque dicendi argu-  
mentum p̄aebet, quod nec a veneratione, Diuo **IT TIGIO** debita,  
alienum, nec veltra, Auditores, attentione indignum fore spero.

**BASILIVM**, re pariter ac nomine **MAGNUM**, saeculum ab  
orbe instaurato quartum numerat in ornamenti, quae Ecclesiae digni-  
tatem summa et ingenii, et doctrinae, et sanctitatis, meritorumque ma-  
ximorum amplitudine vindicarunt. Saeculum hoc illud erat, quo non  
auspicatus ullum orbi Christiano illuxit, siue in eius, **CONSTAN-**  
**TINI MAGNI** imperio pacati, felicitatem pulcherrimamque faci-  
em oculos conuertamus, siue in doctores, quibus abundauit, fama me-  
ritisque illustres intuciamur. Tulit illa aetas, ut e multis paucos nomi-  
nem, **EVEBOS**, **ATHANASIOS**, **MACARIOS**, **CY-**  
**RILLOS**, **EPHRAEMOS**, **GREGORIOS**, **AMPHILO-**  
**CHIOS**, **EPIPHANIOS**, **CHRYSOSTOMOS**; **LA-**  
**CTANTIOS** item, **AMBROSIOS**, **HIERONYMOS**, **AV-**  
**GVSTINOS**, pluresque alios, quorum nominibus venerabundus  
affurgit orbis vniuersus. Hos inter vixisse, his placuisse, hos p̄aefentes  
doctrinae virtutisque habuisse spectatores, eodemque admiratores,  
magna certe **BASILII** laus est. Nec minori **THOMAE** cedit  
laudi, qui anno saeculi superioris quadragesimo tertio, pridie Kalendas  
Decembris, illo ipso die, quo divinitus excitatus **LUTHERVS** Ec-  
clesiae repurgandae negotium suscepisse fertur, secundis auspiciis lucem  
adspexit, ea tempestate natum esse, que, si villa unquam, eruditissimis vi-  
ris p̄aefantissimisque coetus purioris doctoribus ferax fuit, nec modo  
illis coaeuum, sed et plerisque in deliciis fuisse. Non ego **HVLSE-**  
**MANNOS**, non **GEIEROS**, **KROMAYEROS**, **DANN-**  
**HAVEROS**, **SCHMIDIOS**, **BEBELIOS**, **VARENIOS**,  
ceterosque immortalis memoriae Theologos commemorabo, qui iuve-  
nis ad summa nitentis p̄aeclaras dotes egregiosque conatus viderunt, vi-  
fōsque amplissimis ornauerunt elogis; id quidem vere affirmare mihi pos-  
se videor, **THOMAE** admirabilem sacrae antiquitatis scientiam non  
modo externorum opinioni respondisse, ita ut, qui alias ini-  
quissimi sunt Germanorum doctrinae existimatores, Itali, Galli, Angli,  
Belgae, omnia in eo absoluta ac perfecta agnouerint, conspirantibus  
que in eius laudem sententiis, multa atque eximia **IT TIGII** ornamen-  
ta crebris sermonibus et in publicum superantibus testimoniiis praedicaue-  
rint; verum etiam virtutes tanto Praefule dignas, et cum exquisita sacrarum  
litterarum peritia et incredibili veritatis tuenda studio coniunctas nostro-  
rum fere omnium ora atque oculos in ipsum convertisse, eademque sum-  
morum

1232

morum virorum fauorem conciliasse. Hunc FECHTIVS, ille certi-  
ta canit venerandus Rostochiensium Praeful et Theologorum hodie  
princeps, non aliter suspexit, ac BASILIVM suum AMPHILOC-  
CHIVS, Iconiem Antistes; eaque voluntatum longissimo quamvis  
locorum interallo disiunctorum fuit consensio, vt, si idem velle atque  
nolle ea demum vera amicitia est, FECHTIVS atque ITTIGIVS  
perfectissimum et ad posteritatis memoriam insigne illius exemplum  
praebuisse videantur. Hunc CARPOZOVII fratres, alter Lipsiensium  
Theologus, alter supremus sacerorum in Saxonia Antistes, fama meritissi-  
que immortales, tam impense amarunt, vt ipso GREGORIOS, Na-  
zianzi illum, hunc Nyssae Episcopum, licet eorum in BASILIVM  
intensissimus fuerit amor, benivolentia in ITTIGIVM superarint.  
Qui quidem, cum THOMAE, si ipso superstites ei esse fata voluisse, id,  
quod GREGORII BASILIO defuncto praestiterunt, officium  
libenter exsoltissent, suisque elogiis amicissimi viri manes condecora-  
sent, non absque diuiniora quodam nutu ac consilio sibi superstitem  
THOMAM eloquentissimum laudum suarum praecomeni naeti sunt,  
quippe qui vtriusque memoriam disertissimis orationibus, de hoc ipso loco  
dictis, aeternitati consecrauit. Neque vero ceteros iam nominabo, a qui-  
bus, dum viueret, amatus et aestimatus est THOMAS; omnes enim ita  
mihi nominandi forent, quotquot reconditac eruditio[n]is puriorisque  
doctrinae amantes variam eius scientiam, et in sanctissimae fidei no-  
stra capitibus asserendis orthodoxiae studium perspectum habuerent;  
horum autem quem primo quemue secundo loco appellare debeant,  
pros[er]sus ignoro; adeo reuerentia pariter ac in ITTIGIVM amore in-  
ter se certare mihi videntur. Externorum autem ITTIGIANAE  
eruditio[n]is admiratorum unus instar omnium sit, qui in sacrae antiqui-  
tatis rerumque in Ecclesia gestarum cognitione, omnibus facile contentibus,  
principatum hodie tener, doctissimus apud Britannos Canonici  
VVindesoriensis, GVILELMVS CAVEVS, qui quanti THO-  
MAM fecerit, norum mecum omnes, quibus venerandi fenis alloquo  
frui datum est. EPHRAEM ille, gente Syrus, Ecclesiaeque Edes-  
senae Episcopus, cum BASILII fama excitatus Caesaream venisset, ob  
morum studiorumque similitudinem mox ei amicissimus factus est. CA-  
VEVS ITTIGIVM licet nunquam viderit, tamen, ubi doctrinam  
eius ex editis ab ipso p[re]claris ingenii monumentis cognouit, tanto in illi  
amore exarsit, vt amicitiam ipsius statim sibi expetaret; quam partam,  
cum nihil ea p[re]stabilius sibi putaret, per hos viginti annos sancte et con-  
stante seruavit. Vultisne, Auditores, vt, quantum CAVEVS IT-  
TIGO tribuerit, certi et indubitate documenti fide confirmem? Ec-  
quod magis illustre, magisque luculentum testimonium dari potest, quam  
quod ipse nobis p[re]ebet GVILELMVS in litteris, quas ad THO-  
MAM postremas dedit, ipso quidem iam mortuo Lipsiam allatas? Si idem,  
inquit, unquam studiorum cursus amicorum animos artius coniunxit, in-  
mutua nostra amicitia id fieri necesse est. Tu etenim omnis antiquitas  
Ecclesi-

Ecclesiasticae angulos eximia cura et diligentia perscrutatus es; Eandem et ego semitam, licet hanc pari passu, calcavi, ab inveniente aetate hoc studiorum genere mire delectatus, at parum proficuus. Conferatis, quaeſo, cum his elogium, quo beatus Praeful C A V E V M insigniuit, cum de Bibliothecis Patrum tractatum ei offerret, et alterum alterius amicitia dignissimum fuisse intelligetis.

Sed ut eo reuertatur, vide nostra declinavit oratio, ille, de quo dice re coepimus, B A S I L I V S ortu ſuo illuſtrauit Caſafream, quam vere res tabulae atque monimenta Mazacam vocant, Tiberius autem Imperator nouo hoc cognomento honori Caſaris Auguſti conſecrauit, nobilissimam Cappadociae vrbeſ atque metropolim, cuius et ipſe Epifco- pus deinde facetus eſt. Sunt tamen, qui Ponti Polemoniaci vrbi, Neo- caſareae diſtae, et Gregorio ſuo Thaumaturgo ſatis nobili, B A S I - L I V M vindicare conantur. At T H O M A S Lipsiae natus, in ea vrbe, quae mater focunda doctorum hominum ore omnium celebratur, hanc illius gloriam ſuis natalibus egregie auxit atque firmauit. Non ego iam urbis, per totam Germaniam non modo, ſed et per vniuersam fere Europam ac diſſita ora ſatis celebris, mole quidem exiguae, at ciuium frequentia, commerciorum amplitudine, affuentibusque rerum omnium copiis, et litterarum in primis atque artium optimarum studii florentissimae, decora enarrabo, verum laudes eius aliis decantandas relinques, felicem praedico, quae illum genuit ciuem, quem poſtea ad grauiſſimum Praefulſis munus euectum ſacra ſua omnium optime moderate vidit.

Maioribus B A S I L I V S ortus eſt claris ſpectatisque, quorum pietas ac in fide constantia, Maximino in Christianos atrociter faciente, magnopere eluxit, clarumque iſpis inter Confessores nomen comparauit. Patrem habuit B A S I L I V M , virum ſapienſiſſimum, et communem virtutis magistrum, quem eo tempore Pontus proponebat, qui ipſe etiam, iſi fides non nullis habenda eſt, ad Epifcopale fastigium peruenit, nec modo nomen filio dedit, ſed et cum nomine virtutes, quibus ipſe claruit, in eundem propagauit: matrem vero nacltus eſt E M M E - L I A M , ſui nominis ſoemina, hoc eſt, non minus forma eleganti quam mente pulcra praeditam, atq; vel ideo singulari laude commemorandam, quod tam nobile pignus concepit, edidit, aluit, fouit, educavit. Tanta enim optimorum parentum in formando filii ingenio fuit cura, vt labore inter ſe diſperito, pater quidem illis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, mater vero Christianae religionis principis ac pietate adolescentem imbueret. Parifelicitate uſus eſt T H O M A S , iis natus parentibus, qui nobilissima stirpe, auctoritate praecipua, pulcherrimisque virtutibus conspicui, futurum hoc familiae ſuæ decus ingens atque ornamentum exemplo ſuo atque institutione potiſſimum effinxerunt. Pater namque ipſi erat I O A N N E S I T T I G I V S , ab I T T I G I I S , qui Schleusingam Franconiae meri-

1224

tis suis nobilitarunt, remque eius publicam optime gesserunt, genus trahens, auitaque eruditionis, quam in FRANCISCO, Gymnasi Schleusingenlis instaurati primo Rectore, communis Germaniae praeceptor, PHILIPPVS, mirifice amauit, genuinus haeres; qui, domo paterna relicta, Lipsiam venit, domicilioque ibi constituto, Academiam egregie ornauit. Hic enim ille est ITTIGIVS, qui naturalem scientiam heic magno cum applausu docuit, quem Minus Principum Collegium et Philosophorum Ordo Collegam suum, tandemque Seniorem optime merentem suspexit, cui Academia Decemuiratus dignitatem lumbens meritoque obtulit, quemque eadem septies Rectorem venerata est, qui demandatos sibi fasces summa fide prudentiaque administrauit. Iam vero quonam laudis titulo condigne appellabo THOMA E nostri matrem, SABINAM ELISABETHAM VVEINRICHIAM, ex nobilissima celeberrimorum Theologorum stirpe prognatam, atque omne sexus sui decus emendatissimis moribus complexam, quae talem omnino filio, qualem EMMELIA BASILIO suo, se se praebuit, nec modo tenerrimo cum affectu complexa est, soliciteque educauit, sed et animo eius, optimis quippe pietatis magistra, quae pientissimi patris proba fuerat alumna, sacrarum litterarum amorem, debitamque aeterni Numinis reverentiam a prima infancia instillauit; cuiusque adeo amorem atque fidem educando praefitam, sicuti BASILIVS matris EMMELIAE, beatus Praesul obseruantia, quanta potuit, maxima coluit, editoque scripto, cum, anno saeculi decimi septimi octogesimo, acerbissima morte sibi ereptam lugeret, publice testatus est, gratissimoque animo semper collaudauit.

BASILIVS, paterna institutione domi peracta, eruditionis inter exteriores augendae causa, primum quidem Antiochiam profectus est, quae tunc plena erat Graecarum artium et disciplinarum, ac inter ceteros, quibus affluebat, eruditissimos homines, LIBANIVM in primis fouebat, Sophistam clarissimum et Oratorem disertissimum; quo cum et magistro simul et amico noster familiarissime veteretur, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria et eloquentiae laude coepit. Caesaream inde, nobilissimam Palaestinae vrbum, scholisque celeberrimorum doctorum florentissimam, petens, sacrarum litterarum studium cum elegantiori doctrina optimo consilio coniunxit, insignesque adeo progressus fecit, ut expectationem omnium superaret. Neque tamen heic se se diutius, quam par erat, continuuit generosus iuuenis impetus, sed ad alia ipsum loca, in quibus litterarum studia illis temporibus vehementer colebantur, pergere coegit. Itaque Byzantium, totius Orientis primariam vrbum, adiit, eademque mox iterum relicta, Athenas commigravit, vt communem illam omnium artium atque sapientiae matrem salutaret. Tres agebant in ea vrbe tum temporis clarissimi viri, PROAERESIVS, ex Armenia oriundus, tamque excellenti ingenio, tantaque dicendi facultate praeditus, vt omnibus, ipsi etiam Caefari CONSTANTI

735

TI summae esset admirationi, quippe qui purpuratorum loco cum habuit, insulisque aliquot donauit; PRO AERESIVS, inquam, ille, cui Romae statua ex aere consecrata fuit, additis verbis: REGINA RVM ROMA, REGI ELOQVENTIAE. Erat illuc praeterea HIMERIVS, et ipse eloquentiae nomine clarus, atque IVLIANO Imp. perfamiliaris. Ornabat vero etiam eodem tempore Athenas praesentia sua GREGORIVS Nazianzenus, litterarumque studia ibi felicissime tractabat. BASILIVS igitur laudatorum Rhetorum, PRO AERESII atque HIMERII, scholas studiose frequentans, mox GREGORII, commilitonis sui, tanto tamque incredibili amore incendebat, ut intimam cum eo amicitiam iniret, quam morum studiorumque similitudo ita coniugabat, vt non solum Athenis arctissima coniunctio ambo viuerent, verum etiam eandem amicitiam ad supremum vitae exitum, raro fidei atque constantiae exemplo, exercerent. Athenis postea quam aliquamdiu commoratus fuisset, easdemque absque GREGORIO suo vanam esse felicitatem cognouisset, redditum in patriam suscepit, ac in itinere LIBANIO Antiochiae salutato, ingentibus variae eruditiois ac diuinae eloquentiae copiis auctus, Caesaream reuersus est. Haec, Auditores, BASILII fuit studiorum ratio; nec aliana ITTIGIVM tenuisse, faciam ut intelligatis. Nam et ipse litteras humaniores a prima statim aetate edoctus est, et in schola patria, quae ad aedem D. Nicolai sacra sit, aclarissimorum praceptorum optimaeque ac prisci moris disciplinae laude tunc florebat, ab HORN SCHVCHIO, aliisque doctissimis viris, priuatim vero a VALENTINO ALBERTI institutus, egregiae indolis documenta mature dedit. Graecis et Latinis litteris imbutus, decimo septimo aetatis anno Rostochium accesit, coque delatus liberalissimarum artium studia, in natali sibi Academia coepta, duce CHRISTIANO KORTHOLTO, postea Kiloniensium Theologo celeberrimo, per biennium continuauit; tum vero diuiniores litterasibi docentes, VARENIVM, SCHVCKMANNVM, MAVRITIVM, OTTONEM, COBABVM diligenter audiuit. Inde Lipsiam redux factus, SLVTERO, RAPPOLTO, FRANCKENSTEINIO atque THOMASIO, excellentissimis sapientiae ethumanitatis doctribus, se adiunxit, corundemque doctrina ad capessendos honorum gradus rite praeparatus, lauream a Philosophorum Ordine sibi ex merito oblatam suscepit, editusque documentis honorem ingenio atque industria partum praecclare decorauit. Neque tamen heic subsitit incredibilis nostri discendi ardor, nec parta iam scientia contentus erat ille, qui ad summum eruditiois fastigium omnibus viribus contendebat. Petenda igitur erat, quae animo eius perpetuo obuersabatur, Argentina, celeberrima tunc maximis nominis Theologorum atque litteratorum sedes. Huc igitur postquam ITTIGIVS venisset, quorum clarissima nomina tacita adhuc veneratione prosecutus fuerat, DANNHAVEROS, SCHMIDI OS,

1226

OS, FAVSTOS, BEBELIOS coram admiratus est, nec a scholis eorum vñquam se disiunxit; quorum duetū in intimos rerum diuinarum recessus penetravit. Dici non potest, quam tenerimo amore hunc disciplinae suae genuinum alumnum Theologilaudati readamauerint, in primis vero BEBELIVS, qui THOMAM non modo in scholam, sed domum quoque suam atque coniuctū admisit, eidemque de *Forma Ecclesiae externa* disputandi copiam fecit, lumenque adeo praetulit ad exquisitissimam, quam inde consecutus est, doctrinae huius cognitionem. Praeter hosce Theologos, illustres insuper amicitias habuit cum Athenarum Argentoratensem LIBANIO, inclytoque Polyhistore, BOECLERO, eique de rebus Turcicis illo tempore in scholis differenti asiduus adhaesit, quippe qui historiam sacram cum profana arctissimo vinculo cohaerere sciebat. Tot tamq; pulchris reconditae doctrinae elegantiorisque litteraturae ornamentis insignem, nec nisi aegre e complexu suo dimissum Argentina Lipsiae reddidit ITTIGIVM; haec autem futurum decus suum laetabunda recepit, cuius tamen adventus opinionem omnium de eo superauit. Vix enim redierat, cum Philosophiam pariter atque Theologicam cathedram condescenderet, ac in illa quidem de *Montium Incendiis*, in hac vero, moderante KROMAYERO, praecceptor suo vna cum SCHERZERO fidelissimo, de *Traetu hominum ad Christum exaltatum*, grauiter ac erudite disputaret, multiplicemque doctrinam, ac imprimis cum Poetica coniunctam diuinam dividendis facultatem omnibus demonstraret.

Iamque tempus erat, vt in publicam Ecclesiae lucem, primario loco dignus, ITTIGIVS produceretur. At vero, quemadmodum BASILIVS, Ecclesiae Caesariensis ministerio recens admotus, huic officio monasticam viuendi rationem praetulit, quam in Libya atque Aegypto maxima cum delectatione olim viderat; tanto eius fruendae desiderio incensus; vt in ipsas Ponti solitudines locaque deserta secederet, ac in illis cum GREGORIO suo, ceterisque, qui ibi conuenerant, amicis religiosam eandemque iucundissimam sibi vitae rationem iniret; ita THOMAS noster Academiae secessum, otiumque literarium, cuius mira dulcedine afficiebatur, prae Ecclesiae dignitatibus, gratuitate sua verendis, vnice expetebat, Ordinique Sapientum adscriptus, litteris humanioribus, in primis Poeticae dicendique arti, excelens, tum vero etiam naturalis Philosophiae studio operam dabat. At Diuini Numinis prouidentia, quae BASILIVM ex eremo Pontica ad Ecclesiam reuocauit, ITTIGIUM quoque ex Musarum sinu ad sacra sua curanda prodire iusfit, ac utrumque per gradus a postremo fere ministerii loco ad supremum Praefulatus fastigium deduxit. Nam ille quidem in Ecclesia Caesariensi sacros primum libros legititauit, et Diaconi munere functus est, inde Presbyter constitutus, postquam ordinem hunc per plures annos ornasset, tandem, anno saeculi quarti septuagesimo, EVSEBIO in Episcopali dignitate succesit. Hic autem, anno millesimo

1237

anno sexcentesimo septuagesimo primo, Ecclesiae Lipsiensis minister ordinatus, primum Pastoris in aede suburbana officium suscepit, hinc Diaconus in urbe factus est, ac ordine ad Archidiaconatum delatus muneri huic per duodecim annos praefuit, demumque, G. LEHMANN O ad meliorem vitam translato, ad Praefulatum coniunctasque cum illo dignitates peruenit. Videtis, Auditores, BASILII aque ITTIGII exemplo, illos demum optimos esse Ecclesiastrium rectores atque Episcopos, qui, ordine ministerii rite seruato, postquam bene meruerunt, eliguntur. Nauticam legem omnes laudamus, quae gubernatori futuro remos primum tradit, deinde ad proram ipsum collocat, sive adeo, prioribus muneribus commisis, tandem post diuturnam remigationem ac ventorum obseruationem ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio, isque omnium optimus iure censetur imperator, qui miles ante stipendia meruit. Nec aliter de sacro ordine iudicavit sanctissimus quondam Ecclesiae doct<sup>r</sup>, CYPRIANUS, melioresque et magis exercitatos Dei ministros ac Praesules fieri, qui per gradus in Ecclesia ascendunt, vere grauiterque pronunciauit.

BASILII quidem sempiternis laudibus celebratur fides atque prudentia, qua is Episcopus Ecclesiam administravit, effectisque, ne quid detrimenti illa caperet, Ariiæ affectis, nominatim EUSTATI<sup>O</sup>, restitit, nec VALENTIS Imperatoris comminationibus a veritate tuenda studio abduci se passus est. Et THOMAS certe, si quis vnguam Episcopus, pro grege fidei suæ demandato vigilauit, munerasque sui partes ex voto omnium peregit, studio autem atque industria BASILIO MAGNO MAIOREM se praebuit, quippe qui non modo cursus amplissimi sacerdotii, sacrisque Confistorii negotiis, verum etiam grauissimis Academiae occupationibus distractus, tot concatenatis laboribus unus suffecit. Idem enim ille Ecclesiae Praefulatum simul et Doctoris Theologici in Academia munus communis applausu maximaque omnium cum admiratione gesit. Et illo quidem iam tempore, quo Diaconatum ingressus est, doctrinae suæ copias et reconditam in primis antiquitatis sacrae scientiam insigni dissentientium commodo expromere, scholique priuatis explicare coepit, ac inde docendo, pariter atque luculentè eruditio monimenta edendo, famam suam gloriarique quotidie magis magisque auxit; tum vero in solemne erudit<sup>i</sup> certaminis spectaculum progreffius, *Animadversiones ad Censuram Facultatis Theologicae Parisiensis de Privilégio Sedis Apostolice, de controversiis fidei iudicandi, in Sorbona latam*, a se conscriptas, doct<sup>r</sup>e solideque vindicauit, suoque adeo merito obtinuit, ut Licentia supremos consequendi honores a Venerando Theologorum Collegio ipi concederetur. Publicum inde doctorem, anno superioris faculi septimo et nonagesimo, ITTIGIUM Academiae concessit Augustissimi Regis nostri atque Electoris favor, quo dignum se vt illa ostenderet, THOMAM supremis honoribus atque priuilegiis Ordinis Theologici, et illustri Misenenis Canonici dignitate vltro libenterque ornauit. Neque tamen ille munera atque dignitates, quas adeptus erat, praemia exhausti laboris, pro portu, vbi conquiesceret, habuit, sed talem tamque gnauum ac industrium se praeflit, vt satisfaceret omnibus, et quantum coetum administrationi suæ creditum praefidio, tantum Academiam institutione ingenique documentis illustraret.

BASILII doctrinæ pariter atque diligentiae testes supersunt tot pretiosissimæ, quæ ille condidit, quæque ab omnibus, qui Patrum scripta versare solent, non sine sacro quadam horro euolui solent, volumina; tot eius orationes atque epistolæ,

1238

nam doctae, tamque elegantes, ut nihil fere in tota antiquitate Ecclesiastica magis eruditum magisque venustum inueniatur. Graue non minus atque firmum de ITTIGI eruditione studioque indefesso testimonium reddunt tot excellentes ingenii foetus, quos in usum subinde publicum edidit, praesertim ii, quibus absolu-tam historiae et omnis antiquitatis sacrae scientiam declaravit, neque suos tantum ciues, sed et exterios, licet religione dissidentes, in sui admirationem traxit. Testes appello *Commentarium de laetare iarchis ac eius apostolici eique proximi; Prolegomena ad Josephum; Bibliothecam Patrum Apostolicorum Greco Latinam; Supplementum Operum Clementis Alexandrini; Historiam Synodorum in Gallia a Reformati habitarum; de Bibliothecis & Catenis Patrum tractatum; omniumque praestantissimum opus, quod Historiae Ecclesiasticae selecta capita complectitur*, quodque morte beatissimi viri interrruptum fuisse orbi litteratus magnopere dolet. Prae-clara haec sunt monumenta, abundantemque ITTIGII doctrinam facile confirmant; quae, si cum ceteris industriae eius testimonis conferatur, inimitabili proflus illam demonstrant. Testes, inquam, praeter illa, quae modo laudamus, sunt Acta, quae hec loci publicantur, Eruditorum, quibus ille ornans praecepit operari impedit; testes tot litterarum commercia, quae cum eruditissimis hominibus maximique nominis Theologis coluit; testis est cele-bratissima Bibliotheca, quam non minore iudicio quam sumtu atque studio conquisivit, tamque eleganti ordine ipse dispositio, ut in perfectae omnibusque numeris absolutae Bibliothecae Sacrae exemplum proponi queat. Neque enim beatus Praeful, quod plerumque uero venire solet, ad vanam ostentationem locupletissimam Bibliothecam instruxit, nec adeo LUCIANI censuram meruit, sed ut sibi aliquis prodeisset, exquisitissimos codices comparauit, tamque diligenter diuina nocturnaque manu illos versauit, vltimulus facile maiori momenti fuerit liber, cui non ANEPNΩΣΩΗ suum, doctissimi illius Constantinopolitani Patriarchae, PHOTII, exemplum secutus praefixerit, satis luculento documento, conditorem Bibliothecae, ipsum fuisse spirantem Bibliothecam, viuumque Museum. Nec aliter quisquam nostrum de ITTIGO existimauerit, qui vidimus nouimusque virum, in quo tanta tamque singularis inerat memoriae faculta-tas, ut haberet in numerato, quicquid omnis acui elegancia complectitur, quic-quid in historiarum monumentis reconditum ac in primis curiosum reperi-re licet.

Sed age, quoniam de ITTIGII eruditione dicens coepimus, propius illam cum BASILII doctrina nunc conferamus. Divinam Caesarienium Antistitis dicendi facultatem et consummatam eloquentiam satis superque lo-quuntur orationes sacrae atque homiliae, quae ab ipso olim recitatae, posteaque litterarum monumentis mandatae, ad nostram peruenere aetatem. Ipsi prae-stantissimi dicendi artis magistri, maximeque idonei harum rerum arbitrii atque iudices, LIBANIUS, PHOTIUS, PHILOTHEUS, ceterique, PLATONEM in eo vel DEMOSTHENEM reuixisse testantur; adeo in ora-tione eius micat summus elocutionis nitor, summaque perspicuitas, qua, si ERASMO fidem habemus, totius antiquitatis oratores superauit. Nos vero nonne BASILIUM in ITTIGO reuixisse credamus, qui in con- cionem facilitatem eius atque suavitatem, in differentium cathedram eiusdem neruos atque robur afferre solebat. Vos appello, Patres et Cives, qui IT-TIGIUM ad populum verba facientem, qui graviter eundem disputantem audiuitis. Romanae autem eloquentiae vires in hoc ipso, quem teneo, fug-gestu semel iterumque explicauit, cum CARPZOUIOS fratres orator dis- tissimus

1239

tissimus laudaret, ut adeo hoc ipsum sapientiae templum, & hi atrati parietes,  
& haec rostra, Romani eloquii decus in ITTIGIO sibi eruptum hodie luge-  
re mihi videantur. **BASILIUS** interioris Philosophiae callentissimus, hu-  
manioribus autem litteris ita deditus erat, ut ad unguem teneret, quicquid exi-  
mum est apud **Historicos**, **Poetas**, **Oratores** et gentium scriptores tantum non  
omnes, quippe quorum lectionem peculiari commentatione egregie vindica-  
vit. Quae cuncta in **THOMAM** perbellè conueniunt, quem Philosopho-  
rum, veterum pariter atque recentiorum, placitis olim imbutum, cum ceteras  
Philosophiae partes atque disciplinas calluisse, tum in ipsa naturalis sci-  
entiae mysteria penetrasse nouimus, quique omnis litteraturae elegantiam cum  
Theologia ita coniunxit, ut utriusque gloriarum exauisse videatur. Inprimis  
autem Poesi, qua excelluerat iuuenis, senior grauiores curas atque cogita-  
tiones interdistinguere, ipsosque acerbissimos morbi dolores lenire solebat.  
Exemplum vobis sitio Elegos, quos morti vicinus celeberrimo Academiae Alt-  
dorfinae doctori, C. S O N N T A G I O , inscrisit, et Historiae Ecclesiasticae se-  
culi primi selectis capitibus praefixit, quibus nihil terius est, nihil venustius,  
quique ipsos artifices in admirationem trahunt. Taceo iam illam, de qua su-  
pra dixi, diviniorum litterarum et antiquitatis sacrae cognitionem, qua ITTI-  
GIUM BASILIO superiorem discessisse nemo dubauerit.

Quemadmodum vero diuus Praeful Caesariensis Antistitis doctrinam ac-  
curate expressit, ita mores quoque ac virtutes illius exhibuisse mihi videtur.  
Vitae solitariae amantisimus erat ille, monasticique instituti, quod in Aegy-  
ptiis probarat, primus in Ponto atque Cappadocia auctor coelibatum matrimo-  
nio praelustrasse fertur. **THOMAS** quidem ad matrimonium, ait sero, acces-  
sit, & quadragenario maior vxorem duxit **SOPHIAM ELISABETHAM**  
**BOESCHENIAM**, IO. **SIGISMUND O** **SULZBERGERO**, Schleusingen-  
gensi Praefecto, superflitem, nobilissimam rectissimumque moris matronam; sed  
eadem proxime sequente anno, quam ei nupserat, sine prole extincta, inde ab  
illo tempore solus vixit, et in fratre vnico, **NICOLAO ITTIGIO**, quod  
illustre ICtorum Ordinis decus eodem cum **THOMA** mense, insigni Acade-  
miae damno, elatum, non sine horum parietum sensu quodam ac dolore no-  
minare mihi videor, omne praefidium habuit. Hi enim fratres vere germani,  
non aliter ac fratres, **BASILIUS** atque **GREGORIUS**, Nyssenus ille  
Episcopus, hoc est, coniunctissimi vixerunt, eundemque inter se amorem ad  
extremum vitae exitum summa fide atque constantia exercuerunt. Virtutes au-  
tem **BASILII**, modestia, temperantia, in adversis confiantia, et in pauperes  
liberalitas, cum summa pietate coniunctae, ac in illutri iam dudum positae  
monumento, tam mirifice in **THOMA** exsplenduerunt, vobisque, Auditores,  
adeo cognitae sunt atque perspectae, ut iis commemorandis facile supersedere  
queam. In manifesta quippe gloriae luce positum est, quam rite religioseque  
beatus Praeful Deum veneratus fuerit, a quo primordia agendi semper capie-  
bat, quantamentis contentione, genibus provolutus precesque fundens, tremen-  
dum Numen adorauerit, quanto quamque indefesso studio veritatem coele-  
stem feruare pariter atque vindicare allaborauerit, quantamentis constantia gra-  
vissimi muneris molestias, maleficiatorum hominum iniurias, ipsosque acu-  
tissimos calculi dolores tulerit, quam charus omnibus et iucundus vixerit,  
quanta promptitudine pauperes alendos suscepit, stipemque potenteribus dede-  
rit, quam pulchre denique doctrinam, quam ore professus est, vita moribus  
que repreäsentarat.

Ad extrema vocor, atque de exitu tanti viri, quem omnes non longiore modo vita, sed immortalitate dignissimum iudicauimus, dicendum mihi superesse video. Postquam enim, qui firmissima semper valetudine antea usus fuerat, ab aliquot inde annis acerrimos perpetuosque quasi dolores, quibus ex calculo vesicae misere affligebatur, expertus fuisset, tandem viribus fractis anno superiori decubuit, ipsisque Idibus Aprilis, anno aetatis suae sexto et sexagesimo, piam animam expirauit. Caesariensis ille Antistes, cum morbo et laboribus confessus, lectoque affixus esset, ultima sibi iam instare sentiens ad fatalem horam bene se composuit, fiduciaque plenus in ipso mortis articulo exclamauit: *In manus tuas, Domine, commendabo animam meam;* euocatusque sic de statione sua laetus discessit. Pari modo Divus Lipsiensis Praeful in extremo vitae actu pietatem declarauit, et humana despiciens ad IESUM Seruatorem suum se erexit, ac in ejusdem salutari merito conquiscens animam ei reddidit, vi tamque adeo pie gestam placida morte terminauit.

Nihil iam restat, Auditores, quam ut Graecae Ecclesiae, quae BASILI, de se optime meriti, natalem anniversaria religione colendum, solemni ritu consecravit, institutum sequamur, memoriamque THOMAE ITTI-GII sancte diligenterque conseruemus, et quandocunque datur occasio, subinde renouemus, tum vero ad effigiem illius omni studio nos componamus.

D I X I



1229

3

# ORATIO. PARENTALIS DIVI THOMAE. ITTIGII

S. THEOLOGIAE. DOCTORIS. ET. PRO  
FESSORIS. PVBLICI. COLLEGII. THEOLOGICI. ET. CON  
SISTORII. ELECTORALIS. ATQVE. DVCALIS. ASSESSO  
RIS. CANONICI. MISENENSIS. AD. D. NICOLAI  
PASTORIS. ET. DIOECESEOS. LIPSIENSIS  
SVPERINTENDENTIS  
VIRI. DE. ECCLESIA. ATQVE. ACADEMIA  
OPTIME. MERITI  
IMMORTALI. MEMORIAE  
SACRA

---

DIXIT

IN. MAIORI. PRINCIPVM. COLLEGIO  
IN. FREQVENTISSIMA. PATRVM. CIVIVMQUE. CORONA  
D. XVII. KALEND. MAIL. A. C. M. DCC. XI  
CHRISTIANVS. FRIDERICVS. BOERNERVVS  
S. TH. D. SACRARVM. HUMANIORVMQ. LITTERARVM  
PROF. PVBL. COLL. MAIORIS. PRINCIPVM. COLLEGA. ACADEMIAE  
BIBLIOTHECARIVS. ET. ORDINIS. PHILOSOPHICI.  
H. T. DECANVS

---

LIPSIAE. LITERIS. IO. SAMVELIS. FLEISCHERI.

